



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De crebrâ per diem mentis in Deum elevatione ex omnibus, quæ per
sensus attinguntur, animæque potentiis se objiciunt

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Annus.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54773)

Venti.

Fecit ventis pondus, & aquas appendit in mensura. Job. 28. Mittet Angelos suos cum tuba & voce magna: & congregabit electos ejus a quatuor ventis. Matth. 24.

Quatuor anni Tempora.

Tu fecisti omnes terminos terra, a statem & ver, tu plasmasti ea. Job. 73. Cunctis diebus terra sementis & messis, frigus & aestas, aestas & hyems, nox & dies non requiescent. Gen. 1. Considera providentiam, sapientiam & potentiam Dei. Redimentes tempus (genuinâ penitentia & majori in posterum fervore) quoniam dies mali sunt. Ephes. 5.

Lux, Tenebrae.

Post tenebras spero lucem. Job. 27. Post adversa vitæ hujus cælum, & post hoc, quod me conturbat, consolationem à Deo. Fuerunt rebelles lumini. Job. 24. inspirationi divina. Dilexerunt magis tenebras quàm lucem. Joan. 3. Via impiorum tenebrosa, nesciunt ubi corrumpant. Prov. 4. Illuminabit abscondita tenebrarum. 1. Cor. 9. Abscondita quæque patebunt. Lucet lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona. Matth. 5.

Annus.

Fiant luminaria in firmamento cali, & dividant diem ac noctem, & sint in signa & tempora, & dies & annos. Gen. 1. Unde annus lunaris & solaris. Ipse **JESUS** erat incipiens quod

ANNORUM 30. Luc. 3. Dum cœpit evangelizare. Per hoc ipse non indigens præparatione tibi eam ad Apostolicum manus vult inculcare. Ecce anni tres sunt; ex quo venio quarens fructum in ficulnea, & non invenio. Succide ergo illam, dimitte illam & hoc anno, usque dum fodiam circa illam, in futurum succides illam. Luc. 13. Detis avertat, ne id tibi contingat, postquam Angelus Custos tuus toties pro te Deum interpellavit. Idem ipse es, & anni tui non deficient. Hebr. 1. Unus dies apud Dominum sicut 1000. anni. 2. Pett. 3. Mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesternæ, quæ præterit. Imo sicut una custodia de nocte, anni nostri sicut aranea meditabuntur [intellige id passivè, hoc est, æstimabuntur, vel activè sic intellige, in annis nostris nos occupabimus instar aranæ; quæ se exhaurit & eviscerat in texenda tela unâ manu vel digito dirumpendâ] Dies annorum nostrorum in ipsis 70. anni, si autem in Potentatibus [hominibus firmæ complexionis] 80. anni, & amplius eorum labor & dolor. Ps. 89. Nam tempus ultra 80. annos ordinariè plenum morbis, miseriis, &c. Memor fui dierum antiquorum. Ps. 142. & annos aternos in mente habui.

Mensis.

Hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis. Luc. 1. Deus dat, quod petis, si constanter petas, & tuæ salutis non officiat. Quis mihi det, ut sim juxta menses pristinos? Job. 29. In